

gulus $c m d$, & ducatur $m c$ donec secet circumferentiã in puncto c , & a puncto c ducatur linea ad diametrum $m g$, & usq; ad circumferentiã quæ sit linea $c n$, secans diametrum $m g$ in puncto l taliter, qd linea $l n$ sit æqualis lineæ h datae per 133. huius, & ducatur linea $a g$, & producatu $d n$ linea concurrens cum linea $a g$ in puncto q . Cum igitur angulus $d m c$ sit æqualis angulo $d n c$ per 26. tertij, cadunt enim in eundem arcum qui est $d c$: palam, quia erit angulus $q a l$ æqualis angulo $d a q$, & angulus $a q l$ est æqualis angulo $d q a$ per 15. primi, erit ergo per 32. primi angulus $n q l$ æquiangulus triangulo $d q a$, igitur per 4. sexti erit proportio lineæ $a q$ ad $q n$, sicut lineæ $a d$ ad $a l$. Sed cum angulus $d m g$ sit æqualis angulo $d n g$ per 26. tertij, qui cadunt in eundem arcum $d g$, est autẽ per 29. primi angulus $d m g$ æqualis angulo $b a g$: patet, quia angulus $q n g$ æqualis angulo $b a g$. Sit itaq; t punctus, in quo linea $d m$ cõcurrit cum $a b$, eritq; per 15. primi angulus $t q a$ æqualis angulo $n q g$, ergo per 32. primi erit triangulus $t q a$ æquiangulus triangulo $g q n$, erit ergo per 4. sexti proportio lineæ $a q$ ad lineam $q n$, sicut lineæ $t q$ ad lineam $q g$, est igitur per 11. quinti proportio lineæ $t q$ ad lineam $a g$, sicut lineæ $a d$ ad lineam $n l$, sed linea $n l$ est æqualis h assumptæ lineæ per 3. huius, & pportio lineæ $a d$ ad lineam h , est sicut lineæ e ad lineam z , est ergo proportio lineæ $t q$ ad lineam $a g$, sicut lineæ e ad lineam z , qd est ppositũ. Et si cõtingat qd a pũcto c possint duci duæ lineæ similes lineæ $c l n$, erit possibile a pũcto d duci duas lineas similes lineæ $t q$, ita similiter, ut utriusq; ad partẽ quã secet ex base $a g$ sit pportio sicut lineæ e ad lineam z , & erit eadẽ demonstratio. Plures autẽ huius lineas q̄ duas nõ est possibile duci, ut patuit p 133. huius, patet ergo ppositũ, & licet hoc qd hic pponit nõ uideat penitus uniuersale quantum ad quælibet pũcta data, & quaslibet lineas datas, ad quare pportione fieri debeat ipsius basis pportio, nos tñ hoc pposito theoremate nisi modo cõuenienti & possibili in sequẽtib; utemur.

LIBER SECVNDVS

PERSPECTIVAE VITELLIONIS



Niuersalibus huius scientiæ axiomatibus mathematicis præmissis, in hoc secundo libro, ut præmissimus, uniuersali actioni sensibilium formarũ quædam præambula naturalia præmittentes, de modo proiectiõis luminis per medium unius diaphoni, uel plurim super diuersas figuras corporum, & de proiectiõne umbræ, & de figuratiõne lucis cadentis per fenestras aggrediamur tractatum, ut de ijs sine quibus sermonem uisibilium formarũ aggredi conueniens non fuit, prout in processu postmodũ patebit, quæ uero præmittimus, ut nota sensui sunt ista.

DIFFINITIONES.

Corpus luminosum, dicitur omne corpus qd est sui luminis diffusiuum. Corpus diafonum dicitur omne corpus per quod lumini patet transitus. Corpus umbrosum dicitur corpus, per quod lumini non patet transitus. Lux prima dicitur illa quæ efficitur secundã, sicut lux intrans domum per fenestrã, & illuminans domum residuam in loco cui incidit, dicitur prima, in angulis uero domus dicitur lux secunda. Lux minima dicitur, quæ si diuidi intelligatur, non habebit amplius actum lucis. Radius dicitur linea luminosa. Linea radialis dicitur linea per quam fit diffusio formarũ. Linea refracta dicitur linea, cuius partes angulum continent. Pyramis radialis, dicitur pyramis cuius basis est in superficie corporis suam formã diffundentis, & uertex in punctis alterius corporis cuiuscunq;. Pyramis illuminationis dicitur illa, cuius uertex est in puncto corporis luminosi, & basis in superficie rei illuminatæ.

PETITIONES.

Petimus autem hæc, ut per se sensui nota, lucem compressam fortiolem esse luce diffregata